



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 6. Paenitentiae praeservativae certiùs servantur, dum praecepto imponuntur, quàm dum consilio tantùm suggeruntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## §. VI.

*Pœnitentiæ præservativa certiùs servantur, dum præcepto imponuntur, quàm dum consilio tantùm suggeruntur.*

**N**Ecesse quoque persæpè est, vitiis quibus adhuc pœnitens infestatur, & facillè est eum superari, salubre antidotum opponere, ut & lapsus recidivum sicut oportet caveatur, & à sua ipse infirmitate sanetur. Ejusmodi antidotum à Confessario impositum communiter & faciliùs suscipitur & pleniùs custoditur: plerique enim, etiam ii quos homines dicimus minimè scrupulosos, cum vitæ emendationem proponentes confessioni accedunt, lubenter excipiunt, quæ iis à prudenti Confessario dantur salutis monita: sed ea multorum est infirmitas, ut salubre consilium quod cum gaudio susceperunt, nisi quod sub satisfactionis onere est ipsis injunctum, boni propositi paulatim flaccescente fervore haud diu conferrent. Sunt quibus gravis est & molesta ejusmodi oneris impositio; sed non propterea debitam disciplinam omittit, qui non ipsis placere appetit, sed animi eorum infirmitatem sanare; quibus dicit il-  
lud

*Ad Hebr.* Iud Apostoli : *Omnis autem disciplina in prae-*  
*c. 12. v. 11* *senti quidem videtur non esse gaudii, sed meroris:*  
*postea autem fructum pacatissimum exercitatis*  
*per eam reddet justitiæ.*

## §. VII.

*Admodum suspecta est conversio quorundam ra-*  
*tionabiles satisfactiones recusantium.*

**Q**ui vero animi mollitiæ & ignaviâ  
 ejusmodi satisfactionem suscipere  
 renuunt, nec aliam nisi quinque *Pater &*  
*Ave* admittere parati; non facilè dixerim  
 verè conversos: vera enim conversio, uti  
 pluribus est monstratum, sic dolet de præ-  
 teritis, ut debitam quoque sollicitudinem  
 suscipiat ad cavenda futura, ac propterea  
 ut rectè Chrysothomus; *Vulnerato* (non)  
*sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore*  
*evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus.*  
 Propter quod indulgebat Theodoro lap-  
 so, ut non tantam, quanta *malis peractis debe-*  
*retur*, ageret pœnitentiam; minimè ta-  
 men remittebat ut non faceret: *Quantu-*  
*lumcumquè eum, qui hoc loci consistit, retinere*  
*sufficit, ne in contrarium relabatur.* Salubrem  
 agendæ pœnitentiæ modum exponit lo-  
 co superiori idem Chrysothomus, quod  
 hîc nolim omittere: *Quo, inquit, modo*  
*fructi-*

*Hom. 10.*  
*in Matth.*

*Ibid.*